



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

5. Quomodo se debet habere religiosus in prima & tertia per totam hebdomadam, accipiendo beneficia Dei tanquam obiecta secundum series.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

QVEM MODVM DEBET HABERE
monachus in prima & tertia per totam hebdomadam, assumendo tanquam obiecta beneficia diuina secundum ferias.

CAPVT V.

Feria 2.	} Benefi- cium	} Creationis, Gratificationis, Vocationis, Iustificationis, Dotationis, Gubernationis, Glorificationis.
Fer. 3.		
Fer. 4.		
Fer. 5.		
Fer. 6.		
Sabbato		
Dominica		

Quodlibet istorum beneficiorum distinguitur in sex articulos: quorum tres aptantur ad primam, & tres ad tertiam, secundum senarium numerum Psalmorum, qui ad prædictas horas dicuntur. Vnde singuli Psalmi sex canendi sunt ad singulos articulos, referendo Domino gratias hoc modo:

Oratio.

GRatias tibi ago super summe Domine Deus meus, de tali beneficio. Hymnos ad primam, tertiam, & sextam, per totam hebdomadam concine congratulans diuinæ præsentia.

Feria secunda.

FERIA secunda considera beneficium Creationis,

gra-

	{ Prædestinavit,	} ad 1.
gratias	{ Creavit,	
agens	{ Corpus donavit,	} ad 3.
Domi-	{ Animam contulit, (buit,	
no, qui	{ Custodem angelū retri-	
te	{ Parentes Christianos de-	}
	{ dit.	

Feria secunda ad primam.

Ab æterno te prædestinavit, & perpetua charitate dilexit, & semper circa te sollicitus fuit.

Creavit te tempore, quo ei placuit, & te inter suas nobilissimas creaturas scilicet homines constituit: & noluit te condere lapidem, aut tale aliquid.

Impendit tibi corpus cum membrorum integritate, complexionis bonitate, & sexus nobilitate: à multis te miserijs eruens, & ad ei feruendum te aptum faciens.

Feria secunda ad tertiam.

Tribuit tibi animam, creans eam ad imaginem & similitudinem suam, condendo eam suam capacem & immortalem: & adornando multis viribus & potentijs.

Dedit tibi angelum custodem à tuæ conceptionis hora, in vtero matris tuæ: qui te custodiret & multis beneficijs donaret.

Largitus est parentes Christianos, ex quibus nascereris Christianus non Agareus, aut Iudæus, vel infidelis, & in tempore fidei Christianæ.

Feria tertia.

FERIA tertia ad primam & tertiam confide-

rare debes beneficium gratificationis, eodem ordine quo feria secunda disposuimus,

Gratias agens Do- mino qui te	{	Gratificauit,	}	ad 1.
		Spiritum sanctum dedit,		
		Sacramenta impendit,		ad 3.
		Baptismo abluit,		
		Confirmatione roborauit,		
Christianum fecit.				

Feria tertia ad primam.

Gratificauit te in suo dilectissimo filio non parcens ei, sed eum tibi largiens in pretium, exemplum, & socium.

Dedit tibi Spiritum sanctum in signum adoptionis, & in priuilegium dilectionis, & in anulum desponsationis: sua tibi communicans dona, fructus, & sanctas inspirationes.

Impendit tibi sacramenta, & primo sanctam Ecclesiam in refugium, vbi à diluuiio peccatorum, sicut Noë in arca à diluuiio aquarum, posses saluus fieri.

Feria tertia ad tertiam.

Abluit te baptisate, in quo tibi indulgit originalem culpam, restituit innocentiam, vestiuit suam iustitiam.

Roboraui te in Sacramento confirmationis, quo multi caruere: quo te multis donauit muneribus, & eruit à malis pluribus.

Fecit te Christianum, vocans te suo nomine, ad ostendendum te gratificatum, & in sua gratia acceptum: & hoc tibi nomen imposuit in sui memoriam, constituens te filium Dei, & heredem regni cœlorum.

Feria

Feria quarta.

FERIA quarta debes ad primam & tertiam
considerare beneficium, eodem ordine, quem
in feria secunda assignauimus,

Gratias agens Do- mino qui te	{	Sustulit,	} ad 1.	
		Reuocauit,		
		Bona voluntate donauit,		
		Recepit,		} ad 3.
		De seculo eduxit,		
		In loco reformato consti- tuit.		

Feria quarta ad primam.

Patienter te sustulit, licet post tanta recepta
beneficia à Deo auersum, & per diuersa scelera
ad creaturas conuersum: & diutius expecta-
uit, & te damnare noluit, neque in tali statu mo-
ri permisit.

Te multifarijs modis oberrantem tam sapè
reuocauit, modo per internas inspirationes, ali-
quando per aliorum admonitiones: quandoque
per sacræ scripturæ exhortationes: nonnun-
quam per suorum beneficiorum largitiones:
interdum per suppliciorum & æternorum gau-
diorum ostensiones, & per alios modos plures.

Te bona voluntate, quæ suorum munerum
est præcipuum, donauit, mentis suæ surditate
dignanter confringendo: vocem virtutis
voci suæ impendendo: conuersionis tuæ obsta-
cula longè repellendo.

Feria quarta ad tertiam.

Quoties ad eum conuerti voluisti, paternali-
ter instar illius filij prodigi Euâgelici, cum gau-
di-

diote recepit amplexando, & deosculando, & primam stolam & anulum tibi restituendo.

Præter hoc quòd te pœnitentem recepit, de sæculo te eduxit, sicut Loth de Sodomis, & Abraham de Chaldæis, & Noë de diluuiò.

In loco reformato te posuit, coniungens te conuentui sanctè & regulariter degentium, & custodiens conuentu malignantium: donauit quoque tibi tempus pœnitendi, quod est valde preciosum: & gratiam merendi. & per professionem præuia confessione & subsequente absolutione remissionem omnium præteritorum peccaminum concessit.

Feria quinta.

FERIA quinta debes considerare beneficium iustificationis ordine quo supra,

agens gratias Domino, qui tibi.	{	Voluntatem mutauit,	}	ad 1.	
		Perseuerantiam dedit,			
		Spem contulit,		}	ad 3.
		Eucharistiam tribuit,			
		Scripturas exhibuit,			
Ornamenta virtutum tradidit.	}				

Feria quinta ad primam.

Mutauit tuam voluntatem, vt opera pœnitentiæ quæ tibi prius erant amara, fierent dulcia: & quæ prius erant dulcia efficerentur amara dando tibi peccandi continentiam: quod est insigne donum.

Dedit tibi perseuerantiam & constantiam, sine qua nemo potest saluus fieri, cum multi qui inceperunt, non perseuerauerint.

Con-

Contulit spem & gratiam, ne in cceptis deficeres, sed sperares veniam, gratiam, & gloriam te ab eo consecuturum: de hoc te certum faciens diuersis modis internarum cōsolationum & conferens gratiam ad proficiendum per oculos præteritorum malorum, & desiderium futurorum bonorum.

Feria quinta ad tertiam.

Tribuit tibi Sacramentum altaris, parando in conspectu tuo mensam, vbi refectionem sumeres, & sustentari posses ne deficeres in profectu. donauit tibi sacramentum sui preciosi corporis & sanguinis, in viaticum huius peregrinationis, & in Sacramentum communione, & in sacrificium redemptionis.

Exhibuit tibi sanctas scripturas tanquam speculum, vbi tuos defectus valeas contemplari, affectus valeant inflammari: & magis accendis possis purgari & iustificari.

Tradidit ornamenta & exercitia virtutum quibus sceditatem tuorum peccaminum operires. Et ne in iustificatione deficeres & recesseres, sanctos tibi in exempla contulit, quibus & instruaris & accendaris.

Feria sexta.

FERIA sexta in prima & tertia consideranda debet beneficium dotationis, ordine quo supra feria secunda agens gratias Domino: quod

Tibi { Insignia dona præbuit,
Alia plura bona adhibuit,
Gratiã meditandi exhibuit. } ad 1.

Te { Inflammavit,
A peccato custodiuit,
Iacentem erexit. } ad 3.

Feria sexta ad primam.

Præbuit tibi insignia dona Naturæ; præbens tibi sensum ad capiendum, & memoriam ad retinendum: Fortunæ scilicet fortitudinem & pulchritudinem: Gratia; purè credere & ardentè imitari.

Alia multa bona adhibuit, te reducens aberrantem; te instruens ignorantem: te erigens iacentem.

Gratiam meditandi, & in interioribus te exercendi exhibuit intellectum erudiendo: affectum accendendo: affectum coagendo.

Feria sexta ad tertiam.

Inflammavit tuum affectum. Nam non modo intellectum illustravit meditatione: sed quod plus est affectum affecit gustu & deuotione, & inflammavit interna consolatione, dando tibi arram vitæ æternæ.

A peccato te custodiuit, propulsans causas ad delinquendum, præstans virtutem ad resistendum, sanans affectiones ad permanendum.

Te iacentem erexit. Et si aliquando te tentatione superari permisit, te fortiolem surgere fecit, vires ad fortius resistendum impendendo, & ne frangereris, manum suam super te impo-
nendo.

Sabbato.

SABBATO ad primam & ad tertiam debet
considerare beneficium gubernationis, ordinis
quo supra : agens gratias DOMINO, qui

te	{	In esse conseruauit,	} ad 1.
		A multis malis præseruauit, Necessarijs sustentauit:	
tibi	{	Alia administrauit,	} ad 3.
		In esse alias creaturas seruauit,	
		Regendo & gubernando in- tendit.	

Sabbato ad primam.

Conseruauit te in esse, dans tibi augmentum
quotidianum, & esse iocundum & sanum: conseruauit
ex te sis nihilum.

Te à cunabulis, vsque ad præsentem diem
præseruauit à tantis periculis, languoribus, mor-
tibus, & alijs malis pluribus.

Necessarijs te sustentauit, præstans tibi suffi-
cienter victum & vestitum quotidianum.

Sabbato ad tertiam.

Subministrauit tibi omnia alia necessaria
impensans domum ad manendum, & locum
etiam ad quiescendum, &c. Et non modicum
igitur est necessaria, sed & multa alia vtilia
iocunda.

Conseruauit in esse propter te cæteras crea-
turas, ministrans successione temporum,
producens diuersitatem fructuum ad tolle-
dum fastidium.

Terexit & gubernauit, deducens te non
lum per prospera, sed etiam per aduersa
quibus complura tibi contulit bona purg-

do delicta & augendo merita. Et quod potius est quòd semper circa te ita est sollicitè intendens, & intentè sollicitus ac si aliorum non esset ei cura. Et semper est tibi præsens, omnia opera tua prospiciens.

Dominica die.

DIE DOMINICA ad primam & tertiam debes considerare beneficium glorificationis, ordine quo supra feria secunda, agens gratias **DOMINO** de beneficijs glorificationis,

quæ sunt	{	Supra te,	}	ad primam.		
		Iuxta te,				
		Intra te,				
		Extra te,			}	ad tertiam.
		Subtus te,				
Circum te,						

Die Dominica ad primam.

Gaudia Paradisi tibi promisit, supra te diuinitatis fruitionem Redemptoris nostri eiusque gloriosæ matris visionem. Considera igitur quàm grande erit gaudium videre Regem cœlorum in decore suo, & Dominam nostram virginem Mariã totam deificatam & glorificatam.

Iuxta te fruiturus es Sanctorum societate iucundissima, propter eorum qualitatem. sunt enim speciosissimi, nobilissimi, charitate plenissimi, & in numero plurimi.

Intra te, ppter glorificationem animæ & corporis ratione quadruplicis dotis, qua adornabitur & vestietur immortalitate & præ sole fulgebit.

Die Dominica ad tertiam.

Extra te, præbiturus est tibi locum amœnissimum,

simum, deliciofissimum, omni quod delectare potest refertissimum scilicet odoribus, suauitatibus, canoribus, melodijs, & diuersis harmonijs: altissimum, latissimum, lucidissimum.

Subtus te, alia plura gaudia tibi largiturus est. Nō enim solūm his quæ supra te sunt, fruitorus es: sed etiam quæ subtus te sunt: cūm perspexeris te tam fauos & terribiles diuina virtute hostes deuicisse, & commissos reatus Dei clementia defleuisse, & tam dolorosos cruciatus Dei misericordia euasisse.

Circum te, alia multa bona tibi exhibiturus, quæ sunt tam multa, vt nequeāt numerari: tam magna, vt nequeant mensurari: tam preciosa, vt nequeant extimari: itaq; gaudium accipies a motione omnium malorum, & impletione omnium desideriorum, omne habens quod cupias, & nihil habens quod odias.

Utilitas gratiarum actionis pro beneficijs.

HACTENVS dilectissimi fratres per totam hebdomadæ ferias in prima & tertia Dei beneficia retulimus, ne quis se valeat excusare dicens, se ignorare pro acceptis beneficijs gratias agere: cum inter cuncta religiosi exercitia hoc sit præcipuum; vt gratias agens de receptis, sit dignus recipiendis. Quia enim sumus ingrati, ideo tantam virtutum & diuinorum donorum & præcipuè diuini amoris patimur inopiã. Nulatenus quippe perfecto amore Deo valeamus aptari, nisi per assiduam suorum beneficiorum cōsiderationem: nam isti sunt funiculi, quibus trahimur, aptamur, & adhæremus Deo, secundūm quod ipse per Prophetam Oseã testatur di-

eens: Trahã eos in funiculis Adam. Et qui sunt fratres funiculi Adam nisi diuinorũ munerum iugis ruminatio, vt Linconiensis & Bonauentura dicunt? Ingenter igitur nobis insudandũ est, vt in præmissis exercitijs assiduè nos ipsos exercendi peritiam habeamus. & proculdubio experiemur animas nostras diuinitus illuminari, & inflammari. quia vt B. August. dicit, nihil nos ita ad Dei inflãmat amorem, sicut crebra diuinorum beneficiorum recordatio.

QVEM MODVM DEBET TENERE
religiosus in sexta & nona.

CAPVT VI.

QVEMADMODVM supra diximus, nõ solũ pro nobis ipsis, sed pro toto mundo orare & totis pietatis visceribus supplicare debemus Dominum: quatenus suam dignetur inclinare misericordiam ad omnes creaturas, pro quibus princeps gloriæ Christus Redemptor noster patri dignatus est: vt scilicet ad agnitionẽ veritatis suæ Catholicæ fidei trahantur siue Christiani, siue Iudæi, siue alij infideles, & non priuentur illo beatorum consortio foelicissimo, & careant illa beatifica diuinitatis visione, ad cuius cõtemplationem & fruitionem rationales creaturæ fuerunt conditæ. Pro quibus quoque & sanguinis Christi pretiosus thesaurus fuit effusus in cruce. Præcipuè tamen diuinam arctamur pro populo Christiano supplicare maiestaté, sicut nos decet. Hieremias Propheta, videns populum suũ per iniquũ Regem Nabuchodonosor malè tractari, & captiuum in Babylonem trahi, dolens aiebat:

¶ 4

Quis